

X.

Anno 1076.

**Primatus totius Dalmatiae et Croatiae regnante Demetrio
Svinimiro Archiepiscopo Spalatensi competit.**

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti unius Trinitatis et trinae Unitatis individuae. Notum sit omnibus tam praesentibus, quam futuris, quod Praestantius Belgradensis Episcopus, gratia divinae et humanae caritatis, Ecclesiam SS. Cosmae et Damiani, quae sita est in acuto vertice cuiusdam monticuli, non longe a supradicta urbe distantis, monasterio S. Joannis Euangelistae perpetua-liter habere concessit. Ne autem aliquis succedentium, violentia principum, Regis videlicet, Episcopi aut Prioris ejusdem ciuitatis, temeraria mente, feroci tyrannide haec statuta violare audeat et sua audacitate corrumpat; hujus concessionis sanctio ante personas virorum honestissimorum, et sanctae religionis cultum jugiter exequentium, absque ulla contradictione laudabiliter corroborata est, in praesentia s. Dominorum Laurentii totius Dalmatiae et Croatiae reuerendissimi Archiepiscopi, et Domni Gebizonis SS. Bonifacii et Alexii religiosissimi Abbatis, una cum Fulcino Fori Simphronii Venerab. Episcopo, Ap. Sedis Apocrisariorum, in vinea justitiae Dei totis viribus misericorditer laborantium, astantibus etiam Belgradensis Ecclesiae Archipresbytero Drago, et omnibus Clericis utriusque ciuitatis et Domno Justo Priore, Gregorio Judice, Drago, Praestantio, Michaela, Drusia et fere totius supradictae civitatis clero favente ac populo. Anno millesimo ab Incarnatione D. N. Jesu Christi videlicet septuagesimo sexto, Indictione vero quintadecima, tempore ejusdem Gregorii septimi Papae et Demetrii Dalmatiae et Croatiae Regis et Domni Petri ejusdem monasterii Abbatis religiosi. Quicumque autem corrumpat quod horum omnium laude confirmatum est, Dei et eorum maledictionem perpetuo incurrat. Amen.

Farlati Illyricum Sacrum. T. IV. p. 5.

XI.

Anno 1076. Belgradi.

Svinimirus Rex Croatorum nominatur Rex Slavorum.

Notum sit omnibus fidelibus tam posteris quam praesentibus, quia nos Belgradenses divites et inopes, nullo cogente, nullo monente, immo spontanea